



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici  
Semestria duo**

**Strauch, Johann**

**Jenae, 1675**

Cap. X. De communione Clericorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10224**

fruebantur. *can. In omnibus de Consecr. dist. 5. c. quoniam. Infra de vitâ & hon. cler. can. præter hoc. §. præcipientes. dist. 32. Idem in conc. Tolet. IV. c. 24. in c. omnis ætas caus. 12. q. 1. eodemque loco dormiebant. Sed posterioribus seculis solutâ communione vitæ, ubi præbendæ distributæ inter clericos, pars certa reddituum in commune relicta, quæ pars communis mensa dicta est, imago scilicet pristinæ communionis. Hujusce instituti exemplum est, quod in transitu regii exercitus, devastatis segetibus in pago Ambiensis, cum quidam Canonici Ambiensis, qui fructus præbendarum suarum percipiebant his locis, quibus damnum illatum erat, peterent, ut fructus præbendarum refunderentur de communi, mandatum fuit ut collectis reliquiis fructuum qui remanserant, id quod deesset ad integrandas præbendas, de communi capitulo suppleretur. Collectis itaque fructibus non sine miraculo centuplum inventum fuisse, narrat Rigordus in gestis Philippi A. 1184.*

*Communis mensa. Historia miraculosa.*

## CAP. X.

## De communione Clericorum.

## SUMMARI A.

- |   |                                       |
|---|---------------------------------------|
| 1. Apostolorum communio.                  | 5. Præbendæ, quomodo distribu-        |
| 2. Tempore persecutionis desita.          | ta.                                   |
| 3. Christiani quando in cænobia collecti. | 6. Canonici mensæ.                    |
| 4. Benedictini, ordo antiquissimus.       | 7. Mensa Pampilonensis Archiepiscopi. |

**D**iximus de communi Clericorum victu. Et quidem tempore Apostolorum omnia in commune conferebantur, & singulis, prout necessarium erat, distribuebatur. *Act. 2. 44. & 45. Et c. 6, 1. & 2.* Postea autem tempore persecutionum Christianis dispersis, & in cretum fugientibus, separatim vivere coeptum est; donec in cænobia collecti communem vitam denuò in usum revocarint, ut scribit Gregorius Nazianzenus in Monodiis. Exstat regula B. Basilii, & liber Philonis Judæi *ἡ βίβλος τῶν ἱερογρητῶν, ἢ ἡ κητεὶν ἀρετῶν*, de vitâ contemplatoriâ, aut de collectis.

*Apostolorum communio. Tempore persecutionis desita. Christiani quando in cænobia collecti.*



*Benedicti-  
ni, ordo an-  
tiquissimus.*

*Præbendæ,  
quomodo  
distributæ.*

*Canonici  
mensæ.  
Mensæ Pam-  
pilonensis  
Archidia-  
conus.*

deprecatorum virtutibus, quem librum Eusebius *lib. 2. hist. Eccles.* testatur fuisse scriptum de christianis, & probat Hieronymus. Ferunt primum Basilium formulam cœnobiorum Eremitis dedisse, circa annum D. 350. Inde Benedictum Nurcinum Monachos liberè vagantes monasterio sub regulari constitutione conclusisse circa A. D. 530. Polyd. *Virg. lib. 7. c. 3.* Volaterr. *lib. 21.* Horum exemplo aliæ postmodo familiæ religiosæ congregatæ. Et ait P. Gregorius, hic, *quod religio divitias peperit, & ex illis paulatim solvi cœpisse societatis vinculum, & Ecclesiarum bona partim inter singulos divisa, partim in communi retenta, & præbendæ distributæ præsentibus, quandoque & absentibus.* Felin. *in c. Jacobus n. 1. de Simon. Panorm. ad c. licet. de præbend.* In quibusdam præbendis bona seorsum assignata, ut in hoc capitulo vineæ, alia communia relicta omnibus, quæ mensæ dicebantur, quasi pro communi victu eorum, quorum mensa dicitur esse. Divisa quoque fuere bona communia inter Episcopum, vel Abbatem, & capitulum seu monasterium, unde distinctio bonorum mensæ Prælati, & bonorum mensæ capituli, ut *c. possessiones. 10. & cap. ut super. 8. de reb. Eccl. non alien.*

Quid verò est mensæ Pampilonensis Ecclesiæ Archidiaconus apud Innocentium III. *libro 2. Epist. 121.* Nimirum Monachi, vel Canonici regulares communi mensâ fruuntur. Videtur ergo idem Archidiaconus mensæ, qui Archidiaconus cœtus. Idem enim in Canonis regularibus est mensa, quod secularibus chorus, quem hi communem habent solum, & nihil præterea: Et qui regulares iidem & commensales sunt. Aut quia in primâ Ecclesiâ Diaconi circa mensas occupati erant, ut ex eorum institutione apparet *Act. 6. v. 2. ib. ὅτι ἄρεσθον ἔστιν ἡμᾶς καταλείψαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ διακονεῖν τραπέζαις*, ideo verius forsan est Archidiaconum mensæ appellari, qui canonicorum reditus administrabat.

## CAP. XI.

Ad cap. Ecclesiæ S. Mariæ. 10. h. t.

S U M M A R I A.

1. Ecclesia S. Mariæ, in via lata. 2. Aliæ Ecclesiæ S. Mariæ.

3. Ca.